



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De virtute, quid sit, & quid actus eius. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*In princip.  
Ibi dem con-  
tinuo.*

bona sunt. Itē virtutibus nemo male vtitur. Ca-  
teris autem bonis, id est, mediis & minimis, non  
solum bene, sed etiam male quisque vti potest: &  
ideo virtute nemo male vtitur, quia opus virtu-  
tis, est bonus vsus istorum quibus etiam non be-  
ne vti possimus. Nemo autem bene vtendo, male  
vtitur. nō solum autem magna, sed etiam media,  
& minima bona esse premitur bonitas Dei. Ecce ha-  
be tria genera bonorum distincta.

*In quibus bonis sit liberum arbitrium.*

*Cap. 2. in fi.*

Quæritur autem in quibus bonis cōtineatur li-  
berum arbitrium. De hoc Aug. in primo li. retract.  
ita ait, in mediis quidem bonis inuenitur libe-  
rum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti  
possumus: sed tamen tale est, vt sine illo rectè vi-  
uere nequeamus. Bonus autem vsus eius, iam vir-  
tus est: quæ in magnis reperitur bonis, quibus ma-  
le vti nullus potest. Et quia bona, & magna, & me-  
dia, & minima ex Deo sunt: sequitur vt ex Deo sit  
etiam bonus vsus liberæ voluntatis, qui virtus est,  
& in magnis numeratur bonis. Attende diligen-  
ter quæ dicta sunt, & confer in vnum. sic enim a-  
perietur quod supra quærebatur. Dixit equidem  
opus virtutis esse bonum vsum illorum bono-  
rum, quibus etiam non bene vti possumus, id est,  
mediorum: in quibus posuit liberum arbitrium,  
cuius quoque bonum vsum dixit esse virtutem.  
Quæ si est, non est ergo opus virtutis, quod supra  
dicit: quia aliud est virtus, aliud opus eius.

DE VIRTUTE QUID SIT, ET QUID  
*sit actus eius.*

DISTINCT. XXVII.

*De compa-  
ratione gra-  
tia ad vir-  
tutem.*

**H**ic videndum est quid sit virtus, & quid sit a-  
ctus vel opus eius: Virtus est (vt ait August.)  
bona qualitas mentis, qua recte viuatur, & qua  
nullus male vtitur: quam Deus solus in homine  
ope-



operatur. Ideoq; opus Dei tantum est, sicut de virtute iustitiæ Augu. docet super illum locum psalmi, Feci iudicium & iustitiam: ita dicens. Iustitia magna virtus animi est, quam non facit in homine nisi Deus: Ideoq; cum ait propheta ex persona Ecclesiæ, Feci iustitiam: non ipsam virtutem, quã non facit homo, sed opus ei<sup>9</sup> intelligi voluit: Ecce aperte insinuatur hic, quod iustitia in homine nõ est opus hominis, sed Dei: quod & de aliis virtutibus itidem intelligendum est.

*De fide itidem dicit, quod non est ex homine, sed ex Deo tantum.*

Nam de gratia fidei Ephesiis scribens Apostolus, similiter fidem nõ ex homine, sed ex Deo tantum esse asserit, inquit, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Quod à sanctis ita exponitur, Hęc scilicet fides, nõ est ex vi naturæ nostræ, quia donum Dei pure est. Ecce & hic aperte traditur, quod fides non est ex libertate arbitrii, siue ex arbitrio voluntatis: quod superioribus consonat, vbi dictum est, gratiã preuenientem vel operantem esse virtutem, quæ voluntatem hominis liberat & sanat. Vnde Aug. in li. de spiritu & litera ait, Iustificati sumus non per liberam voluntatem, sed per gratiam Christi: non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sana voluntas impleat legem.

*De gratia quæ liberat voluntatem: quæ si virtus est, virtus non est ex libero arbitrio, & sic non est motus mentis.*

Si igitur gratia, quæ sanat, & liberat voluntatẽ hominis, virtus est vel vna vel plures. cū ipsa gratia nõ sit ex arbitrio voluntatis, sed eam poti<sup>9</sup> sanet ac præparet, vt bona sit: cõsequitur vt virt<sup>9</sup> nõ sit ex libero arbitrio: & ita nõ sit motus vel affect<sup>9</sup> mētis, cū omnis mot<sup>9</sup> vel affect<sup>9</sup> mētis sit ex li. ar-

Dd 4 bitrio:

*In 10. 8. con-  
sione 26. in  
princip. ad  
veru hunc  
foci iudiciu.*

B  
*Eph. 2. 6.*

*Aug. 1. 9. in  
fin. tom. 3.*